



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Art. IV. De opere secundæ diei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

quidem, ut communior sententia habet, accidentalem duntaxat, quæ modò huic, modò illi parti cælestis corporis imbrasset; sic enim S. Scriptura, dum ait: *Fiat Lux, & facta est lux*: satis indicat, quæ potius dicere debuisset: *Fiat luminare*: si per lucem hanc corpus solis informe intelligi debet, ut S. Thomas volebat.

V. Q. 5. *An lux hac eodem instanti, quo cælum & terra creata sunt, fuerit producta?* Resp. cum Tann. du. 1. n. 19. negativè juxta communem SS. Patrum & Doctorum ferè unanimum sententiam; & colligitur apertè ex S. Scriptura gen. 1. ubi dicitur: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*; quæ verba non bene de æthereis tenebris, scilicet de Angeli mali casu expli-

ARTICULUS IV.

De Opere secundæ diei.

I. Q. 1. *Quid secundo die creatum sit?* Resp. id satis ex geneleos c. 1. colligi dum dicitur: *Dixit quoque DEVS: Fiat Firmamentum, & dividat aquas ab aquis. Et factum est Firmamentum, divisitq; aquas ab aquis sub Firmamento ab his, quæ erant supra Firmamentum. Et factum est cælum, & vocavitque DEVS Firmamentum cælum, & factum est vespere dies secundus.*

II. Q. 2. *Quid per Firmamentum hoc loco intelligatur?* Resp. varias esse circa hanc quæstionem sententias. Nam quædam Firmamentum mysticè interpretatur de separatione Angelorum bonorum & malorum; Pererius & Valentini intermedium inter nubes & aquas interiacentem; Sacerdos dub. 1. q. 3. n. 13. non solùm octavam Sphoeram, quæ nunc juxta communem usum Firmamentum dicitur, sed etiam totum cælum sidereum sive mobile, ipsùmque cælum Epyreum secundùm infimam partem intelligit, quæ non de novo producta, sed consolidata fuit cùm primo die non nisi liquida producta fuerit.

III. Q. 3. *Quid per aquas supra & infra Firmamentum intelligatur?* Resp. etiam hic non conveniunt Auctores, nam Origenes, de quo, supra dictum est, per aquas Super-

Superiores bonos Angelos, per inferiores malos Angelos intelligit. Valentia & Pererius per aquas Superiores, per inferiores naturales aquas intelligunt. Tamen numerus denique cum suis Authoribus per Superiores corpus diaphanum & pellucidum, liquidum & spiritum Beatorum habitationi destinatum; per inferiores vero elementum aquæ, seu potius omne corpus simplex phanum sublunare; hoc est, inter cælum Lunæ & terram teriectum intelligi existimat, quia, ut S. Thomas q. 68. ad 3. aduertit, Moyses propter invisibilitatem aeris & fluidum corporum, omnium hujusmodi corpora sub aqua nomine comprehendit.

ARTICULUS V.

De opere tertiæ diei.

I. Q. 1. *Quod fuerit opus tertiæ diei?* Resp. id in citato libro Genesis c. 1. indicari, dum dicitur: *Dixit DEVS: Congregentur aqua, qua sub cælo sunt, in locum unum, & appareat arida. & factum est ita. Et ait. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.*

II. Q. 2. *Quomodo facta sit congregatio aquarum?* Resp. tres quidem modos à S. Augustino l. 1. sup. gen. c. 12. commemorari, scilicet ut vel aqua in quibusdam locis velut in montes erecta, reliqua loca terræ nuda reliquerit, vel ut ab initio rarior terras ambiverit, postea vero condensata, eas partes terræ, in quibus arida apparebat, nudas reliquerit: Vel certè terra subsidente, aquis aditum aperuerit in nnum confluentibus, unde & maris denominationem accepit. Et hic modus velut commodissimus communiter fertur.

III. Q. 3. *An terra tunc actu produxerit herbas & arbores, an verò in semine duntaxat?* Resp. ex communibus SS. Patrum & Doctorum sententia, actu fuisse producta omnia; id enim ex claro Scripturæ textu colligitur; quod quid in contrarium S. Augustinus olim senserit.

IV. Q. 4. *An tunc etiam herba & planta vixerint producta?* Resp. affirmativè cum S. Augustino l. 1. sup. gen. c. 12.